

est ut, nulla intermissa mora, semper ac continuo, tum dogmatis, tum moralis theologiae ac iuris canonici studium colat Pastor, et SS. Scripturarum sacra volumina, SS. Patrum opera, diurna nocturnaque manu indesinenter verset, quo tantum tum ex divino, tum ex humano fonte adeo dignoscenda ipse hauriet, ut praecolla salutis documenta omnibus, ac praesertim poenitentibus, secure abundantanterque praebere possit. Gravissimus sane illorum sacerdotum error est qui, antequam ad beneficium et ad animarum curam perveniant, strenue ac diligenter tum S. Scripturae, tum conscientiae casibus operam navant; sed beneficio potito et quod volunt assequuti, statim libros [uti cervi cornua] abiciunt, seque totos otio et desidiae dant, vel, certe si qua lectione animum depasci placeat, iis neglectis libris qui sui munera sunt, fabulis, ephemericibus ac diariis quorum scientia [saepe vana, inutilis et interdum noxia] nil nisi idearum confusionem inducit, student. At vae poenitenti indocti confessoris dextris commisso, et inscio confessario vae! — Sed haud satis: nam, adeo persaepe rerum omnium magistra experientia magisquam quelibet vel assidua lectio doctiores facit, ut, praeter studium, probos aliquos viros diu in animarum regimine versatos, quorum consilium et sententiam difficilioribus in casibus tentet et exquirat, quilibet in promptu habeat, quam maxime suadendum. Quod corporis medici agunt, qui, ubi periculosiores morbi curare debeant, ut de multorum consilio et doctrina una tandem ineatur ratio qua ipsis occurritur, non suaee tantum peritia, sed et alios eiusdem salutaris artis collaboratores sibi adsciscunt.

3. Qua medicus, non modo salutis initium praebere, sed etiam ex poenitentis anima peccata prorsus evellere confessarius iubetur; nimurum vitiosos extirpare habitus, passiones, inclinationesque inordinatas [quae radices ac reliquiae peccatorum sunt] disperdere, proximas occasiones dissipare, uno verbo, animae morbis curationem et medelam afferre tenetur. Nam [meminerit Pastor] coelestis Illius medici qui, ut homines vitam haberent abundantiusque haberent, in terris visus est et cum hominibus conversatus est, vices se tenere persuasum habere oportet. Bonum, igitur, imitetur Samaritanum qui infirmum in itinere derelictum inveniens, in diversorio portavit, et innumera suaee paternae dilectionis argumenta et medelas ipsi praebuit. Hisce, enim, si Pastor deficeret, non pater, nec medicus, nec doctor, sed mercenarius et publicanus, sibi gravis, coeterisque quam maxime noxius ipse erit, quorum augescere numerum, sacrilegum. Heic quoque *ama et fac quod vis*<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Cfr. S. Augustinus, *loc. cit.*

d) Tandem quo iudex, ut iudicij rationes, in quantum fieri potest, adeo rite confessarius dignoscat, caussae momenta tam rite discitat, ut super poenitentem legitimam ferre sententiam possit, necesse omnino est. Poenitentis, igitur, dispositiones, confessionis integritatem, circumstantiarum speciem mutantium, agnitionem, et ita porro confessor quam maxime curabit.

### § II. — De sacramentalis confessionis consectariis.

SUMMAE RERUM. — 276. De sacramentali satisfactione theologiae morum principia. — 277. De indulgentiis et in re canonicae ac liturgicae normae ubi et nuperrima recensetur. — 278. De poenitentis absolutione fundamentalia theologiae morum principia. — 279. Quae cum consuetudinariis, recidivis ac occasionis Pastoris agendi ratio esse possit. — 280. De absolutionis formula.

276. — Hisce diligenter servatis, ad sententiam ferendam confessarius accedat, quo in negocio bina ab eo praestanda veniunt, nimurum, sacramentalis satisfactionis impositio, ac absolutionis imperatio. Quoad primam:

I. Satisfactio sacramentalis<sup>1</sup> opus est poenale ad compensandam iniuriam Deo per peccata illatam, a confessario in poenitentiae sacramento impositam, quod sub gravi, juxta criminum qualitatem ac quantitatem et facultatem poenitentis, confessarius imponere tenetur. Satisfactionis gravitas, ex hodierna Ecclesiae praxi, ea est quea operi sub quod gravi ab ipsa iniungitur respondet, vel sub gravi obligaretur si praeciperetur.

II. Caussas propter quas modicam pro gravibus poenitentiam confessarius imponere potest, sunt fere sequentes: a) corporis infirmitas, vel gravis debilitas mentis; b) ne poenitens maiorem poenitentiam non adimplat vel, ob graviorem, a confessione avertatur periculum; c) magna poenitentis contritio; d) occasiones extraordinariae lucrandi indulgentias; e) si confessarius pro poenitente satisfactionem praestare intendat.

III. Generatim omnia opera bona, nimurum, sive oratio, sive jejunium, sive religionis, seu opera poenitentiae, sive eleemosyna, seu caritatis, pro satisfactione imponi possunt. Quamvis opus seu actum internum [ut actus fidei, caritatis, spei, contritionis meditationes, examina conscientiae, indulgentias] pro poenitentia iniungere liceat, tamen opera externa [uti orationes vocales, templorum visitationes et ita porro] quae, utpote in se sensibilia, sacramento [quod natura sua signum sensibile est] magis convenient, primis praferenda sunt.

IV. Attamen, poenitentiae incongruae, h. e., quae ex pluribus actibus constant, nimis diurnae ac graves, tum propter periculum ne omittantur, tum quia confessionem odiosam reddunt, imponendae non sunt. In re vero peculiares

<sup>1</sup> Cfr. Noldin, *De Sacramentis* n. 299 et seq.

poenitentis condiciones spectandae veniunt, ne tum in se, tum propter circumstantias, onus suis viribus impar ipsi iniungantur.

V. Quando poenitentia imponenda sit iudicij ordo docet, nimurum, ante quam absolutio impertiatur. Attamen, quoniam huius ordinis necessitas nulla habetur, etiam post absolutionem poenitentia iniungi potest, quae et debet si ante ipsam nullam confessarius iniunxit.

VI. Poenitentiam a confessori impositam, tum confessor ipse, tum qui libet alius immutare potest. Attamen primus eam extra sacramentum commutare potest, alteri vero in tribunali tantum sacramento idem praestare licet.

277. — Inter sacramentalis confessionis satisfactionis modos indulgentiarum lucratio perspicuum locum tenet. Unigenitus, enim, Dei Filius, militanti Ecclesiae, cui peccata et aeternas eorum remittiendi poenas potestatem fecit, temporale reatum condonandi facultatem non negavit. Quippe pretiosissimum meritorum suorum thesaurum, [cui B. Genitricis Mariae ac omnium electorum a primis usque ad ultimum, cumuli ad instar, adduntur], dispensandum dilectae Suae Sponsae Ipse concredidit. Coelestem hunc meritorum thesaurum fidelibus applicans pia Mater Ecclesia, indulgentias eis lucrandas offert, quae plenariae cum primis ad Ecclesiae mentem utentibus, saluberrimae sunt beneficio. Sed in re, quae sequuntur prae oculis habeantur ac fidelibus recte recolantur. Itaque:

a) Quoad indulgentiarum lucrationem in genere:

I. Ad indulgentiam lucrandam, praeter statum gratiae [qui saltem eo instanti quo ultimum perficitur<sup>1</sup> opus requiritur], et debitam intentionem<sup>2</sup>, *integra* et devota praescripti pii operis adimpleti<sup>3</sup>, necessaria est, nec, speciali secluso praecepto, ullus ordo<sup>4</sup> determinatus de iure in operum adimpletione exigitur; sed preces, alio titulo obligatoriae, non sufficiunt.

II. Qui *unicum* praescripti operis exercitum praestat, plures indulgentias diversas eidem operi, obiecto vel pio operi adsignatas, non lucratur. Si, enim, Sacram Communionem [de qua diximus] excipias, tot diversa exercitia quo<sup>t</sup> indulgentiae requiruntur.

III. Translato die festo quoad externam solemnitatem et externam celebrationem, etiam indulgentia transfertur: secus si officium ac Missa, absque solemnitate transferantur.

IV. Quoad Ecclesiae vel Oratorii visitationem, ad lucrandas indulgentias impositam, utile ad hoc tempus non modo a media ad medium noctem constituti diei, sed etiam a meridie diei praecedentis est.<sup>5</sup>

V. Indulgentia a *portiuncula* nuncupata, ab omnibus ac ubique, loco diei secundae augusti, in dominicam proxime sequentem, si placet, transferri potest.<sup>6</sup>

<sup>1</sup> Suarez, *De Poenit.*, d. 52.

<sup>2</sup> Ballerini-Palmieri, *Op. theol. moral.*

p. V, pag. 620.

<sup>3</sup> S. R. C. 21 mart. 1820: *Decret. auth.*

250: S. Alph. Th. VI, 534 et A. A. *passim*.

<sup>4</sup> *Decret. auth.*, 214.

5 S. R. C. 26 jan. 1911.

6 S. C. Offic. 26 maj 1911.

VI. Christifideles omnes qui in gratiae statu ac pia intentione, quotidie sacra de altari libare consuescant, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a Communione se abstineant, etiam sine actuali ac hebdomadaria confessione [quae de coetero ad eas lucrandas necessaria esset] quascumque indulgentias lucrare possunt<sup>1</sup>.

VII. Universim, indulgentias apocryphas et a S. Sede proscriptas, vel revocatas quomodocumque divulgare prohibetur. Quae divulgatae iam fuere, de fidelium manibus auferantur<sup>2</sup>.

VIII. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, absque competentis auctoritatis venia, ne publicentur<sup>3</sup>.

b) Pia opera communiter sunt:

I. Peccatorum confessio quae, etiam ab his qui nullius culpe mortalis sunt conscienti fieri debet: attamen sacramentalis absolutionis necessario non requiritur<sup>4</sup>. Qui semel, saltem, in hebdomada peccata confiteri solet, indulgentias omnes lucrare potest<sup>5</sup>: saepe ex indulto ad quindecim dies, non vero ultra, hoc spatium protrahitur<sup>6</sup>. Confessio deficiente, infia hebdomadam ad diem festum designatum ad sacram poenitentiam accedere sufficit<sup>7</sup>.

II. Sacra Communio etiam in vigilia festi designati fieri potest<sup>8</sup>, et ad simul plures, immo omnes eidem festo diei adnexas lucrandas indulgentias unica Communio sufficit<sup>9</sup>.

278. — Quoad poenitentis absolutionem<sup>10</sup>:

a) Cum sufficienter dispositus ipse sit, per se, sub gravi, absolutionem illi impetrare ex iustitia confessarius tenetur. At etiam haec absolutionis per se differri potest, si confessarius id poenitenti vere utile esse iudicaverit. Licit, enim, poenitens ad absolutionem ius habeat, non tamen ut statim habeat, ubi sive ad de peccatis commissis dolore incutiendum, sive ad in proposito non peccandi voluntatem firmandam, utilis dilatio videatur. Attamen hoc spirituale poenitentis bonum, si ipse in dilationem haud consentiat vix assequeretur; quapropter illud habetur; non est differenda absolutionis poenitenti dispositio si ipse invitus sit. Semper vero absolutio, ad breve tantum tempus procastinetur, cum diuturna poenitenti magis obsit quam prosit.

<sup>1</sup> Beringer, *Les indulgences*, I, p. 70 — Pro indulgent. apostolicis cfr. *Instruction. S. C. Indulg.* 28 aug. 1893.

<sup>2</sup> Leo XIII Constit. *Officior. ac Muner.*

VIII Kal. febr. 1896. Decret. general.

Cap. 6. — Cfr. S. C. Indulg. 10-2 aug.

1887, aug. 1899: Gennari, Comment.

Constit. *Officiorum*, p. I.

<sup>3</sup> Id. Ibid.

<sup>4</sup> Pius PP. X, S. C. Indulgent. 14 febr.

1906.

<sup>5</sup> S. C. Indul. 3 nov. 1878: 25 febr. 1886: *Decret. auth.* 231.

<sup>6</sup> S. C. Indul. 25 febr. 1886.

<sup>7</sup> *Decret. auth.*, 295 ad 1.

<sup>8</sup> S. C. Indul. 6 oct. 1870: *Decret. auth.* 426, 434 ad 1 et 2.

<sup>9</sup> S. C. Indul. 29 maj 1861, 29 febr. 1864.

<sup>10</sup> Cfr. Noldin, *De Sacramentis* n. 237 et seq.; Bucceroni, *De danda, differenda ac neganda absolutione*, ubi vere aurea documenta invenies.

b) Poenitenti certe indisposito semper neganda absolutio; qui, enim, hunc absolveret gravis sacrilegii reum se efficeret, nec ulla poenitentis necessitas confessarium a peccato excusare poterit. Qui, tamen, imparati ac indispositi ad peragendam confessionem accedunt, confessarii opera et industria [Dei adiuvante Gratia] ad absolutionem recipiendam disponi possunt, immo et debent. Enimvero, quamvis imparati et indispositi ad sacrum poenitentiae tribunal accesserint, si sufficientia doloris signa praebant, quominus, confessione rite peracta, statim absolvantur nil impedit.

c) Poenitens dubie dispositus juxta nonnullos absolvi non potest, nisi gravis adsit causa, ob quam conditionate absolutio dari possit, aut etiam debeat. Ratio est ne nullitatis periculo sacramentum exponatur, et quia *sacraenta sunt propter homines*. Itaque si, infamiae notam, de solutione non obtenta suspicionem, a sacramentis alienationem, confessionis repetitionem cum alio sacerdote praevidere potest, ac si poenitens in mortis periculo, vel in urgente annuae confessionis praecepto positus sit, non modo hunc dubie dispositum absolvere confessarius potest, sed immo et debet.

279. — Haec generalia theologiae moralis principia cum consuetudinariis, recidivis, ac occasionariis peculiarem exhibent difficultatem, ad quam [in quantum fieri potest] exsuperandam, sequentia prae oculis habeantur:

a) Consuetudinarius quilibet, etsi nulla emendatio praecesserit, absolvi debet, dummodo serio modo emendationem proponat. Nam consuetudo non peccatum sed tantum inclinatio est, quo fit ut cum vera cordis dispositione consistere possit.

b) Recidivus:

i. qui, prudenter, dispositus iudicatur, per se liberari potest; qui, enim, vere iudicari dispositus potest, licet recidivus, absolvi potest. Ad validam, enim, ac licitam absolutionem, nil aliud requiritur quam actualis dispositio; ad genuinam vero dispositionem futura emendatio haud requiritur, neque futuri relapsus praevisione illam officit. Difficultas in eo est quod ex frequenti poenitentis in eadem peccata relapsu, pravae alicuius adhaesionis, exigui peccati horroris, et seriae voluntatis emendationis defectus legitima suspicio invehitur. Quo fit ut, etsi de peccatis suis dolere ipsi affirment, attamen an ipsi sint dispositi prudenter dicere satis grave obstaculum confessori injiciunt, de quo iudicandum eius prudentiae ac discretioni committitur. — Qua in re recidivi *ex fragilitate*, ab aliis qui tales *ex voluntate* sunt, sedulo distinguendi. Nam si de primis fere numquam dubitandum est; alteris

vero [quum non tantum dubia, sed et nulla eorum dispositio censenda sit], communibus in adjunctis, absolutio deneganda est. Si vero suis salutaribus monitis mutatae voluntatis indicia in recidivis confessarius reprehenderit, hos quoque miseros peccatores absolvere ipse potest.

II. Quoad vero absolutionem his recidivis differenda spectat:

a) Si ipsi ex *interna fragilitate* relapsi sint, [quum ex sacramenti gratia, maiores quam ex absolutionis dilatione sperandi sint fructus] absolutionem ipsis impetrare praestabit.

b) Si vero hi in occasione externa, vel quia obligationem non impleverunt relabantur, tunc donec occasio dimissa sit vel impleta obligatio, ut absolutio differatur expedit. Qui, enim, saepius iam fidem fregit, eius voluntas etsi bona, dilatae absolutionis remedio firmari debet.

c) Si recidivus dubie dispositus est, et necessitas eum sub condicione absolvendi non urget, ut de poenitentis voluntate, per experientiam constare possit, juxta quosdam per se absolutio differenda esset. Verum [nostris praesertim temporibus in quibus absolutionis denegatio, seu dilatio adeo parum, plerumque, proficit, ut magis magisque offensos ac indignatos peccatores efficiat] confessarius qui, hisce in adjunctis, ad dolorem ac propositum recidivos disponere conetur, ac peculiaria emendationis media ipsis praescribit, eosque absolvit, melius profecto agit.

d) De occasionariis tandem dicendum:

I. Hi qui graviter peccandi occasionem *proximam* quam facile defugere possunt, haud devitare intendunt, absolvinequeunt. In his, enim, voluntatis emendationis efficacitas deficit, quo ad absolutionem obtainendam indispositi efficiuntur, cum ipsa voluntas in occasione proxima permanendi grave peccatum sit.

II. Occasionem *proximam*, *liberam*, *continuam*, sive *interruptam* derelictum se promittens, dummodo eius promissio prudenter confessarius fidere possit, per se absolvit potest. Qui, enim, sufficienter dispositus iudicatur per se absolvit semper potest; immo, communibus in contingentibus, concessa absolutio magisquam eius dilatio, sacramenti gratia mediante, magis ei proderit.

III. Si vero, iam *saepe* absolutus, adeo fidem frangat ut in occasione iterum relabatur, nisi prius hanc dimitat, haud absolvendus est: enimvero firmo illum emendationis carere proposito recte confessarius suspicere potest. Etsi vero dispositus iudicari occasionarius possit, attamen ut, hoc dilatae absolutionis medio, infirma eius voluntas

in proposito exequendo iuvetur [praeſertim si occasio sit in esse] prudentia suadet.

IV. Si absolutionis concedendae, ante quam occasionem dimiserit, urget ratio, modo occasionarius serio doleat et emendationem proponat, absolvi minime prohibetur.

V. Poenitens in proxima ac necessaria occasione positus:

1. Si eam haud deserere vult, dummodo non peccandi remedia [ut sunt diligens oratio, frequentior sacramentorum usus, non amplius peccandi quotidiana renovatio propositi, fugere ab aspectu complicis et similia] adhibere promittat, absolvi potest.

2. Si plures post confessiones, iisdem cum peccatis in occasione proxima necessaria constitutus ad confessarium occasionarius redeat, non est absolute necessarium ut occasionem deserat; sed si remedia quibus occasio proxima fiat remota serio adhibere velit, adhuc absolvi potest. Hac, enim, voluntate posita, etsi occasionem non remoturus, sufficienter dispositus censeri debet.

3. Utrum vero peculiari in casu, occasionis dimissio exigenda sit, an eniōr mediorum usus potius suadendus, confessarii prudentia dicet. Generatim constitui potest: occasionis dimissionem non exigendam esse si eam dimittere, quam, remediis adhibitis, peccatum devitare, multo difficilius sit. Ex eo, enim, quod plures post relapsus nulla emendatio secuta est, haud nullam emendationis spem superesse, sed aut proposita media insufficientia fuisse, aut ea non fuisse adhibita tantum inferendum est. Si vero de postremo hoc casu constet, ut aut diligentius adhibeantur remedia, aut, etiam gravissimo cum incommode, occasionem poenitens deserat, serio monendus est. Attamen contraria sententia a quāplurimis auctoribus, cum S. Alphonso tutata, probabilis, profecto, est.

280. — Tandem quoad absolutionis formulam in confessione adhibendam, Ritualis Romanus eam docet, et ut, communibus in adjunctis, omnino integre absque omissione verbuli *deinde* adhibeat, tum sacramenti dignitas reverentiaque, tum spiritualis poenitentis consolatio, suadet. Tantum in magno poenitentium concursu, tum Misereatur, tum Indulgentiam et Passio omitti possunt, ut reliqua formulae perspicue, lente, graviter ac omnino integre super poenitentem pronuncietur. Quum vero absolutionis haud necessitas est, tunc Misereatur tantum ac Indulgentiam in poenitentem sacerdos pronuntiare potest.

### § III. — De casuum reservatione ac censuris.

SUMMAE RERUM. — 281. Animadversiones praeviae. — 282. Quoad casuum reservationem quae leges edicant. — 283. De censuris synopis.

281. — Prout hucusque de dandae absolutioni obstaculis [ut ita dicamus] subiectivis, dispositionem, scilicet, poenitentis spectantibus egimus, ut, et quod satis de obstaculis subiectivis [ex peccatorum, nempe, qualitate derivantibus] tradamus, propositi nostri ratio fert. In re, autem, quod nostris praeſertim temporibus potissimum usu venit, de censuris argumentum est, de quo propterea, ad sacrorum canonum ac morum theologia normam, plenam, quantum fieri potest, notitiam exhibemus. Ut autem tractatio nostra minus incompleta evadat, de casuum reservatione nonnulla principia praemittimus quibus fideliter Pastor insitendo, suaे potestatis limites haud ipse excedet.

282. — Quoad casuum reservationem theologiae morum ac sacrorum canonum<sup>1</sup> principia hoc redeunt:

I. S. Pontifex in universa Ecclesia, Episcopus in sua dioecesi, Ordinarius generatim quoad subditos, graviorum quorundam casuum absolutionem legitime sibi reservare possunt<sup>2</sup>.

II. Reservatio peccati « propter se », cum non proprie videatur esse poena in peccante, sed mera potius coarctatio jurisdictionis in confessario, etiam ignorantes afficit<sup>3</sup>. Non ita de peccato principaliter reservato « propter censuram », ut habetur in omnibus casibus Papalibus reservatis cum censura, atque etiam in Episcopalibus<sup>4</sup>, nisi aliter voluntas reservantis statuerit.

III. Reservatum non censetur esse peccatum nisi [ut peccatum atque ut reservatum], sit certum, interne et externe grave, et in sua specie consummatum<sup>5</sup>.

IV. Casus Romano Pontifici reservati sine censura sunt duo: 1) calumniosa denuntiatio confessarii de falso crimine sollicitationis; 2) acceptatio gratuita et retentio munieris [ultra valorem 10 scutorum, idest, 35 franc. et 37 cent.] a religiosis solemniter paupertati voto obstrictis; infra valorem praedictum, aut, si dona sint de bonis religionis, casus Cardinali Paenitentiariorum reservatur<sup>6</sup>.

V. Si Episcopus, praeter quosdam casus a jure sibi reservatos [abortus, percussio levis clerici, etc.], alios judicaverit esse a seipso sibi reservandos, convenit omnino hoc fieri tantum in Synodo<sup>7</sup>, et quidem, de paucis gravioribusque criminibus, aliunde Apostolicae Sedi non reservatis.

<sup>1</sup> Cfr. D. D. cit.

<sup>2</sup> Trid. XIV, cap. 17: S. Alphons., VI, 578; Suarez, *De Poenitent.*, disp. XXIX, Lugo, *De Sacr. Poenit.*, d. XX.

<sup>3</sup> S. Alphons. VI, 508, Bucceroni, *De casibus reservat.*, n. 18; D'Annibale, *Op. cit.* I, 343; Lehmkühl II, 407.

<sup>4</sup> D'Annibale, I, 340 et alii, contra communem sententiam.

<sup>5</sup> S. Alph., VI, 582.

<sup>6</sup> Benedict. XIV, *Pastor bonus*, 13 april. 1774; Bucceroni, *loc. cil.*

<sup>7</sup> Id. *Synod.* I. V, c. 4, n. 3.

VI. Nullus sacerdos, quacumque polleat jurisdictione, nisi speciale a reservante facultatem acceperit, valide potest a casibus reservatis absolvere. — Facultas absolvendi a casibus Papae reservatis nequaquam censetur includere facultatem absolvendi a casibus reservatis Episcopo.

VII. Cessat reservatio quaecumque:

a) In articulo vel periculo mortis<sup>1</sup>, et valide semper quilibet simplex sacerdos poenitentem ab omnibus peccatis et censuris absolvit, etsi non semper licite, v. g. ubi alius idoneus de jure confessarius potest haberi. — Si convaluerit moribundus, a censuris Episcopo aut « speciali modo » Papae reservatis absolutus, tenetur coram Superiore saltem infra mensum se sistere, ejus mandata suscepturus<sup>2</sup>.

b) Cessat, non quidem de jure, sed de facto, Papalis reservatio in circumstantiis quibusdam urgentioribus vi recentioris decreti S. Officii<sup>3</sup> quo confessarii immediate committitur facultas absolvendi a casibus et censuris omnibus reservatis S. Pontifici, ea tamen lege ut paenitens per confessarium, infra mensem, sub poena reincidentiae in censuras, ad Sedem Apostolicam recurrat, ut dictum est.

c). Cessat Episcopalis reservatio stante impedimento adeundi Episcopum aut gravi imminentे periculo scandali vel infamiae. Tenetur tamen paenitens, impedimento sublato, Superiore adire.

VIII. Peregrinos,<sup>4</sup> [qui tamen non agant in fraudem legis<sup>5</sup>] absolvit simplex confessarius, stando intra limites propriae suaे jurisdictionis, a casibus solummodo in dioecesis eorum reservatis etiam sub censura; non autem talis confessarius potest absolvere eos a casibus in sua tantum vel in utraque diocesi reservatis.

IX. Absolvit a reservatis: a) ipse reservans, ejusve superior et successor; b) delegatus ab homine, a jure, a consuetudine, a privilegio; c) ex Conc. Tridentino [cap. Liceat, ss. XXIV, 6] absolvit Episcopus suos subditos, in foro conscientiae tantum, ab omnibus casibus occultis Papae « simpliciter » reservatis<sup>6</sup>.

X. Stante impedimento personaliter adeundi R. Pontificem, casus Papalis non ideo fit Episcopalis<sup>7</sup>, nec de jure ad absolutionem inferioris devolvitur; sed tenetur paenitens ad Sedem Apostolicam, scilicet, ad Cardinalem Majorem Paenitentiarium, saltem per litteras, recurrere.

XI. Prohibetur omnino confessarius a paenitente nomen sui complicitis exquirere<sup>8</sup>. Excommunicationi latae sententiae R. Pontifici reservatae subjiciuntur illi qui docent vel defendant tanquam licitam proximam inquirendi a paenitente nomen complicitis<sup>9</sup>.

XII. Nullus sacerdos, extra casum extremae necessitatis, valide potest absolvere complicem suum in peccato turpi. Excommunicationem latae sententiae R. Pontifici « modo specialissimo » reservatam incurrit sacerdos qui, etiam simulando, attentat complicem absolvere; nec illum excusat ignorantia crassa hujus censurae<sup>10</sup>.

<sup>1</sup> Trid. XIV, c. 7: *Apostolic. Sed.*, § I.

<sup>2</sup> S. Offic. 23-30 jun. 1886.

<sup>3</sup> Id. 30 jun. 1886; 20 febr. 1888 -

15 maj et 15 august. 1909 — Cfr. decret. *Ne temere* art. VI.

<sup>4</sup> D'Annibale, I, 85, 205, 306; III, 322.

<sup>5</sup> Clem. X, *Suprema*, 21 jul. 1676.

<sup>6</sup> Bucceroni, *De Cens.*, n. 41 et seq.

<sup>7</sup> S. Offic. 23-30 jun. 1886.

<sup>8</sup> Benedict. XIV, *Ubi primum*, 2 jul.

1746; *Suprema*, 7 jul. 1745; *Ad eradicandum*, 28 sept. 1746.

<sup>9</sup> Constit. *Apostolicae Sedis*, § 2, n. 1.

<sup>10</sup> Benedict. XIV, *Sacramentum Poenit.*, 1 jun. 1741; *Apostolici muneris*,

8 feb. 1745; Constit. *Apost. Sedis*, § 1,

n. 1, etc.

XIII. Confessarius qui crimen sollicitationis<sup>1</sup> ad turpia commiserit, sub pena excommunicationis latae sententiae [nemini reservatae] debet denuntiari et puniri ad tramitem Const. Benedicti XIV *Sacramentum poenitentiae*<sup>2</sup> et Instructionis S. Officii<sup>3</sup>. — Praeterea R. Pontifici reservatur peccatum falso denuntiantis confessarium innocentem<sup>4</sup>.

283. — Quod censuras vero tum canones, tum theologia morum sequentia iubent:

I. Censura est poena spiritualis et medicinalis<sup>5</sup> qua fidelis, delinquens et contumax<sup>6</sup>, privatur per potestatem ecclesiasticam, usu quorundam bonorum spiritualium, donec a contumacia recedat.

II. — Censura esse potest: latae vel ferendae sententiae, a jure vel ab homine, reservata vel non reservata.

III. Tres numerantur censurarum species: excommunicatio, suspensio et interdictum, de quibus infra.

IV. Ferre possunt censuras Superiores ecclesiastici jurisdictionem « fori externi » habentes, eorumve delegati, ita: S. Pontifex, Concilium generale; Episcopus in sua dioecesi, ejusque Vicarius generalis; sede vacante, Capitulum et Vicarius capitularis; Legati Apostolici in sua provincia; Praelati regulares quoad subditos, etc.

V. Subjectum censurae esse debet: a) baptizatus<sup>7</sup>, b) pubertatem adeptus<sup>8</sup>, c) juridice delinquens et contumax, d) auctori censurae legitime subditus<sup>9</sup>, e) nullo privilegio exceptus. — Non potest excommunicari collegium<sup>10</sup>. — Eadem persona pluribus simul censuris potest ligari.

VI. Peregrini<sup>11</sup> generalibus Ecclesiae censuris subjiciuntur; item particularibus et dioecesanis, si territoriales sunt, non autem si personales.

VII. Regulariter, ante inflictionem censurae requiritur tria monitio<sup>12</sup> canonica, aut saltem, in urgentiori casu, unica expresse pro tribus facta et scriptis mandata. — Nulla necessaria monitio pro censuris latae sententiae, aut per modum poenae vindicativae infictis<sup>13</sup>.

VIII. Ad validitatem censurae requiritur ut sententia scriptis mandetur [vel, urgente necessitate, oraliter, sed tali modo qui possit in foro externo fidem facere], cum sufficienti determinatione personae, criminis et causae ob quam censura infligitur<sup>14</sup>.

IX. Conditiones illae generatim ad censuram requiruntur quae universaliter pro legitima poena exiguntur.

<sup>1</sup> Gregor. XV, *Universi*, 30 aug. 1622;

Benedict. XIV, *Sacra Poenit.*, 1 jul. 1741;

S. Alph., VI, 675.

<sup>2</sup> Bened. XIV, 1. c.

<sup>3</sup> 20 febr. 1867.

<sup>4</sup> C. *Apostol. Sedis*, § IV, n. 4.

<sup>5</sup> Cap. I, *De Sent. ex communic.*, in

6<sup>o</sup>; S. Alph., VII, 54.

<sup>6</sup> Cap. 23, *De verborum significat.*, X,

V. 40; Cap. 3, *De Sentent. excom.*, in 6<sup>o</sup>;

S. Alph., VII, 40; V, 10; S. Thom.; *Sup-*

*plenum*, 9, XXI, a. 3.

<sup>7</sup> Bucceroni, *Op. cit.* 5.

<sup>8</sup> D'Annibale, I, 312 [66].

<sup>9</sup> S. Alph., V, 591; VII, 127; I, 156

<sup>10</sup> Suarez, V, 1, 29; XVIII, II, 2.

<sup>11</sup> D'Annibale, III, 306; S. Alph., VII,

19, 26, 27; Marc., 1226.

<sup>12</sup> Cap. 26 *De Appellat.*; Suarez, *De*

*Censur.*, III, XI, I.

<sup>13</sup> S. Alph., VII, 35; Bucceroni, *Op.*

*cit.*, n. 17.

<sup>14</sup> Cap. 1, *De sent. exc.*, in 6<sup>o</sup>.